

146

D . M
 VAL . ATTICO B-F
 COS . LEG . XII G
 P . FE . STIP . XXIII
 VIXIT ANNIS XLI
 FECIT AELIA PAR
 THENIS HOSPITI
 BENEMERENTI.

At sexcentæ supersunt Inscriptiones, in quibus militum concubinae conjuges & uxores vocantur. Quorsum istud tandem? Matrimonium inter servos æque vetitum erat, eorumque uxores contubernales appellabantur; tamen innumeræ pene sunt Inscriptiones, in quibus uxores, & conjuges dicuntur; in privatis enim hisce epitaphiis Servilia capita ambitiose ingenuas voces affectabant; nemo tamen unquam matrimonia inter servos idcirco fuisse existimavit.

7. Nota Centurionatus, V. Ursat. de Not. Roman.

TERTIVS Cognominis vicem gerit in hac Inscriptione *Tertius*, prænominis in Fabrett. Inscip. Dom. Cap. I. p. 23. LEG. III CYR. Legionem Tertiam Cyrenaicâ dictâ passim vetusta marmora testantur.

L V.

P. LEG IIII FLAV. Illud mihi doctissimus, ac in primis amicus Antonius Franciscus Gorius ignoscat velim, si de illius sententiâ in his notis interpretandis decedo. Etenim in Indice Collectionis Donianæ, quæ nobis hanc suppeditavit Inscriptionem, ita illas exponit. *Proprator Legionis IIII Flavia*. Ego vero quum nusquam Præpatores Legionum viderim, malim explicare *Præpositus Legionis IIII Flav.* Præpositi Legionum haud infrequenter occurrunt in antiquis Inscriptionibus; ii erant, qui universæ Legioni imperabant: tali munere olim functum fuisse Hadrianum ex Spartiano animadvertit Reinesius Cl. I. 28. *Secunda*, inquit ille, *expeditione Dacicâ Trajanus cum* (Hadrianum) *primæ Legioni Minervæ*
 præ-